



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

cxxx. Ad lacerationem accipitris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

*Quomodo inferenda sint pinnae remiges
nuncupatae.*

EX pinnis quæ volatui maxime auxiliantur, sunt remiges; propterea nuncupatae, quod tanquam remi aerium pelagus secant. Quod si forte earum aliqua fracta fuerit, eius insitionem ars machinata est, ab agricolis hanc forte mutuata, qui surculum alienum suo trunco inserunt. Remigem igitur pinnam, quam insiturus es, scinde ex vna parte, ut possit includi in alteram, eaque remollescat, finito. deinde scinde accipitris fractam pinnam, & ubi exacte dimensus fueris, & exæquaueris aliis pinnis remigibus, ita ut ne maior sit, neque minor, mediam perforato tenui subula, & ita inserito accipitris mortui pinnam in foramen fractæ viuæ, filo utrinque ligato, & postea non impediatur, quominus volare queat.

Ad lacerationem accipitris.

NVLLVM auium genus inerme natura produxit, sed & vnguium robore, & rostri impetu ad venandum & ad se defendendum armavit. Si igitur aliqua vel magni-

tudine vel robore præstans accipitrem percusserit, & voluptatem tibi in molestiam conuerterit, suillam axungiam cum sarmentorum cinere subactam in plagam prius purgatam imponito, deinde acicula tenui scite consuuto; perducetur ad sanitatem. Alij brassicæ caulem comburunt, & similiter chartam, ex hisque cinerem collectum cum auium adipe subactum in plagam iniiciunt. Quod si à grue percussus sit, aut in pectore, aut in carnosis partibus, symphyto prius oblinito affectum locum, eumq. consuuto triangulis aciculis laneum filum ducentibus exterius suturam symphyto inspergito. si filum disrumptur, & consui non posset, hoc faciliori vtitor auxilio, quod continet chartam scriptam, siue non scriptam diligenter combustam: eius cinerem cum oleo misce-to, locumque vbi plaga est, vngito. Quod si sanguis ex plaga defluit, chalcitide prius plagam conspergito, & adiuuabitur. Quod si percussus sit in osseis aut neruosis locis, sumito thus masculum, eoque contrito inspergito, aut cephalicon appellatum, quo ad curandos homines vtuntur, in locum affectum imponito, & cito sanabis.

cephalici compositio hæc recipit. Dulcis olei trientem, bituminis, ceræ, picis aridæ, singulorum selibram, spumæ, argenti scrupulos binos: cerusæ, scrupulos quatuor & semis: thuris, aloe, myrihæ, singulorum sextulam: opij, mandragoræ pomorum succi, singulas sextulas: alumini scissilis, atramenti futorij, chalcitidis, croci, singulorum sextulam: aceti quod satis est: quæ liquari possunt, liquato & inspergito aridis contusis & cribratis. quæ vbi subegeris reponito, & cum vsus necessitas requiret, ex rosaceo dissolutum plagæ indito.

Ad dilacerationem.

SI accipitris ventrem grus vnguibus lacerauerit, & pellem illius diruperit, ita curabis. confestim ipsum recipito, consueto plagam acicula tenui filum ducente, & distractam pellem coniungito, deinde corticis quercini cinerem ex oleo dulci subactum inspergito. columbinum finum oleo & vino permistum in pastilli formam redactum super plagam imponito, non aberrabis ab optima curatione.

Aliud remedium.

Consueto id quod discissum est: deinde